



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

X. An in parte intellectiua sit memoria, vel aliqua potentia an intellectiua
distincta. Quæ de speciebus intelligibilibus & verbo mentis, iudicio, &c.
hoc libro quæri possent, in 3. præcedentià cap. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

Ex indur. Capreolo in prologo. Eorum tamen sententia falsa videtur, quoniam prædicti habitus per proprios, & intrinsecos fines, & obiecta formalia separantur, ut supra ostendimus, neque est simile de potentia, & habitibus: nam, ut etiam alibi monuimus, potentia multo vniuersalius est, quam habitus eam perficiens, cum sit superior, & eminentior, unde licet una potentia sit, quæ speculatur veritates, & dirigit operationes humanas: alter tamen habitus est, qui potentiam hanc perficit in primo munere, alter, qui in secundo: quia de causa distinctio habituum non essentialis solum, sed etiam generica dici solet: ut notauit Scotus in logica supra, & Caiet. 1. p. q. 1. a. 4. non quod in nullo genere conveniant, ut nos etiam in posterioribus. apud Aristotelem docuimus, sed quod constituentur duos habituum ordines, valde inter se diuersos, distinctasque rationes scientiarum sub se continentes. Unde sub priori ordine continetur tota latitudo principiorum, conclusionumque scientiarum speculatiuarum, quæ ex variis abstractionibus distinguuntur, de quibus etiam in proprio loco plura diximus, sub posteriori verò tota latitudo habituum practitorum coercens omnes practicas scientias, artes, prudentiam, &c. qui habitus inter se per actuum, factuumque distinguuntur ab Aristotele 6. Metaph. & 6. item Ethicorum.

13
Notatio 1.
pro doctina
proxima.

Ad cuius distinctionis intelligentiam est notandum, primò, quod habitus practicus ille dicitur, qui ponit modum, & rectitudinem in dirigenda actione humana, quæ quidem dirigi potest, aut quantum ad vsum moralem, ut scilicet studiosè fiat, aut quantum ad rectitudinem naturalem, id est, ut nimirum in proprio genere operatio illa perfecta prodeat: sic ars pingendi vel scribendi hominem dirigit ad rectè exercendam illam operationem in ordine ad picturam, vel scripturam bonam. Prima rectitudo operationis est rectitudo ad bonum simpliciter, quia est bonum hominis, ut homo est. Secunda rectitudo est ad bonum secundum quid, quia est bonum hominis, non ut homo est, sed ut talis, vel talis artifex. Rursum prima rectitudo pertinet ad prudentiam, & actus illam comitantes, tendit enim ad rectitudinem simpliciter voluntatis, & appetitus. Secunda verò rectitudo pertinet ad artem, unde scitè scripsit Aristoteles, prudentem magis vituperari, si volens errauerit, quam si nolens, at verò artificem è contrario plus vituperari, si errauerit nolens, quam si volens: quia in prudente requiritur rectitudo appetitus, non item in artifice.

14
Notatio 2.

Secundò est notandum inter operationes humanas, quasdam esse, quæ transeunt in exteriorem materiam, efficiuntque aliquid manens transacta actione, alias verò, quæ non transeunt in talem materiam, sub quibus comprehenduntur, quæ nihil operis relinquunt, cum transferint, veluti ciuitarizatio, saltatio, &c. primi generis operationes actiones propriè vocantur: Aristoteles ergo dictis locis agibile vocat, id quod est agibile simpliciter, & ita solum prudentiam ait vocari, versarique circa agibile, & artem omnem circa factibile: unde prudentiam vocat habitum cum ratione actuum, artem verò habitum cum ratione factuum, idem habet libro magnorum moralium, cap. ult. Atenim Alexander Aphrod. 6. Metaph. c. 1. quem sequi videtur S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 4. duplices artes distinguit, alias, quæ versantur circa agibile, dicunturque liberales, cuiusmodi sunt quæcunque circa actiones immanentes versantur, & alias, quæ circa factibile occupantur, ac dicuntur, seruiles: prioris generis artes distinguuntur à prudentia, quæ circa agibile simpliciter versatur, dirigendo bonitatem, rectitudinemque simpliciter in actionibus: artes verò circa agibile secundum

dum quid, ut diximus. Vergebis Dialectica igitur scientia practica erit, cum ars directiua sit operationum humanarum, & earum regula. Occurrit tamen quantum ad modum quidem practica esse, attamen excipi à numero artium, & speculationem dici posse, quia speculationem, & speculationem est, dirigit, ut alibi diximus.

Superest breue dubium, an vnus, idemque habitus esse queat practicus, & speculatiuus, ac negandum videbitur, cum dixerimus distinguere essentialiter. Censeo tamen inter habitus infulos aliquos esse practicos, & speculatiuos simul, eo quod perficiunt intellectum secundum operationes aliquas vtriusque generis: cuiusmodi sunt fides supernaturales, Spiritus sancti dona, quæ fidei respondent, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. & q. 8. & 9. Scientia denique Theologia. Ratio est, quia tales habitus cum habeant supremum obiectum, nempe Deum, ad quem omnia ordinantur, tractando de Deo summam speculationem attingunt, quia verò simul agunt de ijs, quæ ad Deum ordinantur, inter quæ operationes humanæ numerantur, aliquid etiam practici participant, inter alios verò inferiores habitus quidam sunt merè speculatiui, ut metaphysica, quidam merè practici, ut prudentia: quidam aliquid ex vtroque videntur communicare, ut moralis philosophia, quæ quidem practica videtur esse, partimque speculatiua, ut insinuat Aristoteles in principio Ethicorum. Quapropter speculatiuum, & practicum differentia erunt essentialia, quando habitus eis adæquat, ut quando habitus superiorem quandam modum sortitur, potest nonnihil ex vtroque participare, & intellectum sub vtraque ratione perficere.

CAPVT X.

Utrum in parte intellectiva sit memoria, vel aliqua potentia ab intellectu distincta.

In hoc capite superest explicemus reliqua, quæ ad potentiam intellectiuam pertinent: quorum primum illud est, quomodo intellectus noster præterita cognoscat, & obiter etià attingemus de modo cognoscendi futura, ac tandem diuersæ denominationes explicabuntur, quæ intellectui accommodantur. Circa primum experimento constat, intellectum nostrum cognoscere præterita, de modo tamen est difficile: circa quæ fuit opinio Auicennæ post actum intelligendi, intellectum non cōseruare species, sed quando cūq; cognoscit abfens obiectum, fieri nouam productionem speciei à phantasmate, & intellectu agente. Ratio eius est, quia si potentia cognoscitiua cōseruaret species, semper cognosceret, quia semper præfèd esset cognoscendi causa, nimirum potentia, atque species.

Sit tamen prima conclusio: Species intelligibiles cōseruantur in anima transacto intelligendi actu. Est communis Theologorum, de qua D. August. 10. lib. confelsionum, & c. 8. & vltra, Magil. in 2. dist. 3. & ibi expolitores D. Thom. 2. contra gentes, c. 74. Cicero Tusculana prima: colligiturque ex Aristotele lib. 2. de Anima, cap. 5. ubi docet intellectum permanere posse in actu primo absque secundo, & lib. de memoria, & remiscencia, cap. 2. fatetur dari memoriam intelligibilem, id quod experientia patet: nam recordamur actuum præteritorum Dei, & beneficiorum eius: itè cum volumus, consideramus ea, quæ habitualiter nouimus: est experientia autem superfluum nouam semper productionem specierum inducere, quia rerum plurimarum species multo discursu, & labore comparantur, eaque ratione tolleretur scientia habitualis, quæ magna ex par-

SVAREZ
de Angelis, opus
6. d. 1. m. et
anima.

Tom. I. m.
D. V. 2.

D. V. 2.

1. Ratio.

Satis sit A-

menia.

3.

a. Affertio

contra Ma-

gistrum.

Probatur 1.

Secundo.

Dubii inci-

piet dilu-

io ex schola

Th. mist.

non placet.

Aliorum re-

sponso ex-

ploditur.

4.

3. Conclusio

contra prae-

dictos au-

thores pro-

bat.

Instantia ex

Aristotele

solutur.

ex parte consistit in ordine specierum. Causa à priori est, quia intelligibiles species non pendunt in conservari à praesentia obiecti, nec ab actu intelligendi, quia nullum est talis dependentiae verisimile fundamentum: neque nullum genus causae assignabitur in quo pendere dicantur, aut contrarium, à quo iam productae corrumpantur, cum tam ipsae quam subiectum spiritualia sint. Et confirmatur, quia intellectus angelicus cōferuat species, & pars sensitiva interior similiter: cur ergo nō intellectus noster, qui in suo genere habere debet virtutem completam cognoscendi: ea verò magna ex parte completur ex hac perfectione retinendi speciei: alias anima separata non recordaretur rerum, quae gessit in corpore, cuius oppositum Scriptura sacra non obscure testatur, docens animam separatam memorari rerum huius vitae, vt *Luce 16. Hic vltimo, de quo iterum lib. 6. cap. 3. fundamentum tamen Avicennae solutum est lib. 3. cap. 3. de quo videtur D. Th. de memoria, & reminiscetia, lect. 2.* Restat verò dubium, quanam sit potentia conservans hasce species, nam Magist. supra putat distinctam ab intellectu. Sit tamen secunda conclusio. Potentia specierum servatrix nō est intellectus. Suadetur primò, quia eadem est potentia cognoscens in praesentia, & absentia obiecti, vt de sensibus interioribus vidimus in lib. 3. quod maiori ratione verum habet in intellectu: potentia, quae sunt vniuersalia, ac minus limitata. Secundo, quia superfluum est multiplicare potentias sine necessitate: rationes deinde pro prima conclusione factae probant species intelligibiles in ea potentia conservari, in qua primò recipiuntur. Dubium tamen vltius suboritur, an intellectus conservans, vt probatum est, species, propriam rationem vendicat memoriae. S. Thomas supra a. 6. negat, quoniam memoria (inquit) debet esse praeteritum, vt praeteritum est, intellectus autē non potest cognoscere praeteritum vt sic, id enim importat tempus determinatum in particulari, quod pertinet ad conditiones individuas, quas ignorat intellectus, qui vniuersalia tantum attingit. Hoc idem sentit ipsius Schola, sed iam exclusum est ex supradictis: etenim intellectus rem cognoscit cum affectionibus, seu conditionibus peculiaribus perfectius multo, quam sensus. Alij ergo putant intellectum non sortiri perfectam rationem memoriae, eo quod non habeat pro obiecto adequato praeteritum, vt sic, sed indifferens sit ad praesens, & praeteritum cognoscendum. Hoc tamen momentum non habet, quia memoria etiam sensitiva nō versatur adequate circa praeterita, sed etiam praesentia nouit, vt ostendimus: praeterquam quod non fit, cur ad rationem perfectam memoria spectet ad quari praeterito: Angeli namque & Deus perfectissime memorantur. *Genes. 9. Recordabor fœderis mei, & ceter. Ierem. 2. Recordatus sum tui.* Nimirum Deus memoriam habet, non vt potentiam tantum importat, sed actualement cognitionem omnium praeteritorum, qua tamen etiam praesentia intuetur. Tertia itaque conclusio sit. Intellectus est propriè admodum memoria, & multo perfectior, quam in parte sensitiva inueniatur. Hæc ex ipsa definitione ostenditur. Nam memoria est potentia cognoscens praeteritum vt praeteritum, sed intellectus hoc modo perfectius percipit, quam sensus: quippe qui nouit tantum praeteritum materialiter, intellectus verò etiam formaliter, cum cognoscat ipsam temporis rationem: ergo, &c. Oppones in hunc modum, Aristoteles lib. de memoria, & reminiscetia videtur abstruere memoriam per se esse primi sensitiui, per accidens verò esse intellectiue partis. Experientia quoque liquet memoriam intellectiui maxime pendere à sensibus: quare, &c. Respondendum: cum intellectus

in hac vita pendeat in cognoscendo à phantasmate, eorum tantum memorari, quorum phantasmata apud sensum reperiuntur, ideoque memoriam dici existeri in primo sensitiuo, ortumque habere dependentiam memoriæ intellectiue à sensibus: vnde rerum, quæ altius imaginationi imprimuntur, facilius memoramur, quia de causa Cicero in 1. Rhetoricorum monuit, si subtilium rationum memorari volumus, eas sensibus alligemus. Pro cognitione futurorum non possumus hoc loco multa differere, videri possunt alijs in locis in Theologia: hic breuiter est notandum, eiusmodi futura, vt futura sunt, non posse à nobis certo cognosci per vim naturam intellectus. Secundo notandum inter contingentia quædam esse libera, vt pote quæ à libertate pendunt: alia vero contingentia dici à causis quidem naturalibus: sed quia aliquando impediuntur, ideo suam etiā contingentiam habere censentur. Et in vtriusque alia dantur, quæ sepe eueniunt, alia quæ raro, vel quæ ad vtrū liberatque in consilio loquendo ea, quæ frequenter eueniunt, iudicari probabiliter possunt euentura, & sic de alijs proportionem seruata. At vero descendendo ad particulares effectus consideranda sunt circumstantia, & signa omnia, ex quibus coniectari possit quidnam sit euenturum, nunquam tamē determinato iudicio cognosci valēt, ea precipue quæ sunt libera: vnde qui huiusmodi futura prædicunt, vt certa, sapissime decipiuntur, & spiritu dæmonis aguntur. Alij tanquæ sunt res futuræ satis certæ: aut quia sunt à Deo reuelatæ vt extremum iudicium: aut quia habent determinatas causas naturales, quæ proinde possunt à nobis determinatè, ac certo cognosci, cum subordinatione tamen ad diuinam potestatem, quæ facili omnes potest inuertere. Vltimo loco est in hoc capite notandum, intellectum nostrum varias habere denominationes, quarum omnium significata explicare oportet, quia non diuersas potentias important, sed vnā, & eandem sub rationibus diuersis. Ad illarum ergo omnium explicationem recolendū ex superioribus intellectum secundum se nudum quidem esse speciebus, & habitibus, potentem verò vtriusque recipere, & vt sic dici possibilem, cumque primò recipiat species rerum, vel habitus, ideo intellectum vocari in actu primo, hoc est, habitualiter: postmodum verò cum iam actu operatur, dici intellectum in actu secundo. Porro in hac operatione multipliciter variatur, nam res quasdam cognoscit simpliciter, vt de primis principijs indicat naturalilumine sine discursu, sub qua consideratione intellectus simpliciter nominatur, eo quod in tali operatione assimilatur intelligētis angelicis. Ex principijs deinde ratiocinando conclusionem colligit: eoque modo appellatur ratio. Vnde iam constat rationem, & intellectum eandem esse potentiam. Deinde ratiocinatio hæc versari potest, aut circa res diuinas, & æternas, aut circa humanas, & caducas. Circa diuinas dupliciter, vel cognoscendo, atque in se ipsas contemplando, vel per eas regulando actiones humanas, veluti si ex bonitatis Christi consideratione colligamus peccatum non debere regnare in mortali corpore nostro, quod fecit Paulus ad Roman. 6. Ratio ergo hoc vtroque modo diuina considerans ratio superior nominatur. Similiter circa res humanas versari potest intellectus cognoscendo, aut etiam actiones hominis regulando, quo pacto dicitur inferior ratio. Atque ita constat etiam inferiorem rationem, ac superiorem vnā esse inter se potentiam, eandemque cum intellectu de qua distinctione optime D. Augustin. de Trinitate, ca. 3. Vtius verò dici solet intellectus mens, quia voce potentia alia non importatur, sed explicatur dignitas intellectus nostri, mens enim quandā eminentiam significat in ipsa potētia intellectiua, quasi

Notatio: Theologia: hic breuiter est notandum, eiusmodi futura, vt futura sunt, non posse à nobis certo cognosci per vim naturam intellectus.

Paria tamen notatio: intellectus per se nudum, cumque primò recipiat species rerum, vel habitus, ideo intellectum vocari in actu primo, hoc est, habitualiter: postmodum verò cum iam actu operatur, dici intellectum in actu secundo.

quasi à metiendo dicta, metitur enim veritatem in rebus, quidque unicuique conveniat, aut non conveniat. Distingui præterea solet in anima nostra pars opinativa, & scientifica, Aristoteles enim 6. Ethicor. cap. 1. ait esse in anima potestates, & vires rationis participes, alteram per quam contemplamur necessaria, ad quam habitus scientiæ pertinent, alteram per quam contemplamur contingentia, ad quam pertinet habitus opinionis, quo loco intelligentiæ non sunt diuersæ potentia, sed unus intellectus utrasque complectens vires, discurrendi scilicet in rebus evidenter, tum etiam in probabilibus, unde diuersas recipiat denominationes. Eodem modo est interpretandus Augustinus 10. de ciuitat. fere per totum. Denique dici interdum solet intellectus noster adeptus, id est, in eo statu constitutus, in quo consequutus sit quacunque habere potest, quem statum solum in gloria habebit. Atque hæc sunt officia, quæ intellectui tribuuntur. De alijs enim vocibus practico, speculativo, & memoria iam à nobis est dictum.

7. Ex dictis omnibus constat potentiam intellectiuam esse unicam, significatam diuersis nominibus iuxta diuersos conceptus inadequatos intellectus nostri. Dices, si hæc omnia, nec distinctionem quidem formalem, seu essentialem arguunt in intellectu possibili, certe neque agens intellectus ab eo distinguitur essentialiter, si semel demus non distingui realiter. Admitti totum in primis posset, neque magnum id esset inconueniens. Secundo neganda est æquiparatio: namque intellectus possibilis, & agens obiecta adequata vendicant, actusque adequatos omnino distinctos: in modo etiam operandi longe differunt, quia unus operatur cognoscendo, & non alter: unus est in potentia ad actum primum, alius vero est in actu primo constitutus ex natura sua, ac tandem rationes habent distinctas, quarum altera non est pars alterius: at vero rationes illæ, quas in intellectu possibili consideramus, partiales sunt, & inadequate, integrantes vnam perfectam rationem potentia cognoscitur, & ideo non est par ratio.

8. Præter dicta circumferuntur alia nomina, quæ non tam ipsam potentiam intellectiuam, quam actum aliquem, vel habitum eius significant, quorum primum est *intelligere*, quæ proprie actualement

dicta operationem, qua rem simpliciter intuitu cognoscimus, unde simplex primarum veritatum cognitio *intelligentia* dicitur, cum verò talem cognitionem ad alia cognoscenda adhibemus, *discursus* vocatur, ab alijs verò *attentio*: cum autem circa aliquid inquirendum infilitimus, *cognatio* nuncupatur, & in practicis *consulatio*, cum cognitionem assequimur, nominatur *sapientia*, vel *rectum iudicium*, cum res cognitæ disponimus, vel alijs manifestamus, quædam interior locutio censetur, & per hæc pleraque nomina alia internoscimus: vniuersa enim exponere esset superfluum.

9. Duplex tamen non prætermittam, *synderefin*, & *conscientiam*: *synderefin* nomen est non intellectus, sed habitus in eo existens, facilemque reddit ad assentiendum principijs practicis, unde Latine sonat conseruationem, fortasse quia iudicio talis habitus plura sunt conseruanda, vel certe, quia illius munus est conseruare in nobis officium rationalis naturæ. De hoc habitu, atque altero, qui circa speculatiua versatur, intellectusque principiorum dicitur, videantur dicta apud Aristotelem in posterioribus. Iam conscientia significat habitum quandam dimanantem à synderefi immediatè, vel mediante iudicio alicuius conclusionis practicæ, est enim conscientia quoddam actuale examen nostrarum operationum, quo iudicamus illas malas esse, aut bonas: si forè iudicamus malas, è vestigio sequitur in voluntate remorsus, & tristitia quædam, quæ *repus* appellatur. Si autem nihil apprehensibile in illis inuenimus, subsequitur quies, quædam & gaudium. Vnde 2. Corinth. 1. dicitur, *Gloria nostra est testimonium conscientia nostra*. Quæ de causa Durand. in 2. dist. 9. q. 2. putauit conscientiam esse habitum voluntatis, sed minus verè, nam, vt ex ipso nomine constat, conscientia cognitionem significat, id autem, quod in voluntate sequitur, affectus est bonæ, vel malæ conscientie. Solet etiam aliquando sumi conscientia pro ipso habitu synderefin, quo sensu Damasc. vocat nostri intellectus lucem: Basiliius vero esse naturale iudicatorium, Hieronymus super Ezechiel. appellat synderefin, prout hæc omnia refert S. Thom. 1. part. quæst. 79. artic. 13. & optime exponit.

E L E N C H V S

CAPITVM LIBRI QVINTI.

- CAP. I. AN in quouis cognoscente requiratur specialis potentia appetitiua.
 II. AN obiectum appetibile debeat necessario esse bonum aliquod.
 III. AN appetitio fiat à sola potentia appetitiua, & quid per illam producat.
 IV. AN in appetitu sensitivo sint plures potentia habentes plura obiecta.
 V. Quot, & quales sint actus appetitus sensitui.
 VI. AN appetitus sensituius subdatur motioni partis rationalis.
 VII. De obiecto, & actibus voluntatis.
 VIII. AN voluntas libera in omnibus suis actibus remittatur.
 IX. Quæ sit perfectior potentia, intellectusne, an voluntas.
 X. De potentia motiua localiter, sitne actiua, & ab alijs anima potentius distincta.

LIBER